

CONFIRMATIO SUPER REGULA RAYMUNDI DE
PUY PER PAPAM BONIFACIUM.

Bonifacius Episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Magistro & Fratribus Hospitalis sancti Joannis Jerusalem salutem, & Apostolicam benedictionem. Culminis Apostolici folio superna clementia præsidentes, dum solerter attendimus, quod vos mundanis contemptis illecebris, quæ cum blandiuntur, illudunt, divinis obsequiis salubriter adhæsistis, vos & vestra totaliter pro illis exponere non verentes: dum etiam consideramus attentius, quod vos summæ dilectionis affectum, magnæque reverentiæ zelum erga nos & Romanam Ecclesiam, matrem vestram, gessistis hætenus, & gerere non cessatis, dignum duximus & rationi congruum arbitramur, ut vos & Hospitale vestrum favoribus prosequentes uberiùs petitiones vestras, quantum cum Deo possumus, ad exauditionis gratiam admittamus. Exhibita siquidem nobis vestra petitio continebat, quod olim, in captione civitatis Anconensis, Apostolicas litteras, Regulæ vestræ seriem continentes, cum aliis rebus non modicis amisistis, ---- suppliciter petebatis à nobis, ut, cum vos nonnullas litteras ejusdam Fratribus Raymundi, tunc dicti Hospitalis Custodis (qui prædictam Regulam condidit) ejus plumbeo sigillo signatas, in quibus Regula ipsa continetur expressè, prout asseritis, habeatis; vobis præfatam Regulam, ad majoris cautelæ præsidium sub Bulla nostra concedere dignarentur: Nos igitur ad vestrum & prædicti Hospitalis statum prosperum & tranquillum, paternis studiis intendentes vestris devotis supplicationibus inclinati, prædictam Regulam, prout in prædictis litteris Fratri Raymundi contineri conspicitur, quibusdam verbis de mandato nostro abmotis & correctis in ea præsentibus fecimus annotari, eamque nihilominus, ex certa scientia confirmamus, & innovamus de gratia speciali, &c. (Tenor autem ipsarum litterarum subsequitur de verbo in verbum, &c.) Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ ammonitionis, innovationis, & confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursum. Data Laterani VII. Idus Aprilis, Pontificatus nostri anno VI.

1. *De illo, quod intrantes in Religionem Jerosolymorum debent promittere & observare.*

Ego Raymundus, Dei gratiâ, servus pauperum Jesu Christi, & Custos Hospitalis Jerosolymitani, consilio totius Capituli, & Clericorum, & Laicorum Fratrum, statui hæc præcepta, & statuta in domo Hospitalis Jerosolymitani. In primis jubeo, quod omnes Fratres ad servitium venientes pauperum, tria, quæ promittunt Deo, teneant cum Dei auxilio, scilicet, castitatem, & obedientiam, hoc est, quod quodcumque præcipitur eis à Magistris suis, & sine proprio vivere, quia hoc Deus ab eis in ultimo examine requirit.

2. *Quod debent petere & habere Fratres.*

Et volumus, quod Fratres non quarant amplius, ex debito, nisi panem & aquam, atque vestitum, quæ eis promittuntur. Et vestitus sit humilis, quia Domini Nostri Pauperes, quorum servos nos esse fatemur, nudi & sordidi incedunt, & non convenit servo, ut sit superbus, & Dominus ejus humilis.

3. *Quomodo Clerici serviant Altari.*

Constitutum est etiam in Ecclesia, honestus sit eorum incessus, & conversatio idonea; scilicet ut Clerici ad Altare cum albis vestibus deserviant; Presbytero Diaconus, vel Subdiaconus, & si necessitas fuerit, alius Clericus hoc idem exerceat officium, & lumen in Ecclesia die nocteque sit.

4. *De Visitatione Infirmorum & Communione.*

AD Infirmorum visitationem Presbyterum albis vestibus incedat, religiosè portans Corpus Domini; & Diaconus procedat vel Subdiaconus, vel alius Clericus ferens laternam cum candela accensa, & spongiam cum aqua benedicta.

5. *Qualiter Fratres debent ire extra.*

Iterum, cum irent Fratres per Civitates & Castella, non eant soli, sed duo vel tres: Nec cum quibus voluerint, sed cum quibus Magister jusserit, ire debebunt; sed cum venerint, quo vo-

luerint, simul stent in incessu, in habitu. In omnibus motibus eorum nihil fiat, quod cuiusquam offendat aspectum; sed quod suam deceat sanctitatem. Quando etiam fuerint in Domo vel in Ecclesia, aut ubicunque fuerint, foeminae invicem suam pudicitiam custodiant.

6. *Quod foemina non serviant Fratribus.*

Nec foeminae capita eorum lavent aut pedes; aut lectum eorum faciant. Deus qui habitat in Caelis, isto modo custodiet eos, &c. Finis primae partis.

7. *Qualiter se habeant Fratres petendo eleemosynas.*

ET in sanctorum Pauperum quaerendo eleemosynas, Religiosae personae Fratrum de Clericis & de Laicis incedant. Et cum hospitium quaesierint, ad Ecclesiam, vel aliquam honestam personam veniant, ex charitate ab ea victum petant, & nihil aliud emant. Si vero non inveniatur, qui tribuat eis mensuratum, nisi unum solum cibum, bene unde vivere possint, emant.

8. *De eleemosynis acquisitis: Et quod Frater non recipiat de quaestu, neque terram, neque pignora.*

EX inquisitione eleemosynarum nec terram, nec pignus accipiant, sed suo Magistro per scriptum reddant: Ac etiam Magister, cum suo scripto, Pauperibus ad Hospitale transmittat.

9. *De illo, quod debet retinere Magister de omnibus obedientiis.*

ET de omnibus obedientiis tertiam partem de pane, & de vino, & de omni nutrimento etiam Magister suscipiat, & si supererit, hoc quod amplius fuerit, ad eleemosynas convertat, & Hierosolymitanis cum scripto suo Pauperibus mittat.

10. *De Collecta recipienda, & lumine nocturno.*

ET non eant ad praedicationem aliqui Fratrum, de ullis obedientiis, ad Collectas, nisi solum illi, quos Capitulum & Magister Ecclesiae miserit.

11. *De ferculo, quod debent habere Fratres.*

ET ipsi Fratres, qui exierint ad Collectas colligendas, in quacunque obedientia venerint, recipiantur; & accipiant talem victum, qualem Fratres inter se dispensaverint, & aliam vexationem ibi non faciant. Lumen secum portent. Et

in quacunque domo Hospitali fuerint, ante se lumen ardere faciant.

12. *De vestitu Fratrum.*

DEinde pannos Religioni nostrae non congruos, nec pelles sylvestres omnino portent, sed eos prohibemus, ne amodo induant Fratres.

13. *De Commestione Fratrum.*

ET non commedant Fratres nisi bis in die, & quarta Feria & die Sabbati, & Septuagesima usque in Pascha carnes non commedant, praeter eos, qui sunt infirmi & imbecilles.

14. *Quomodo dormiant Fratres.*

ET nunquam nudi jaceant Fratres, sed vestiti camisis laneis vel lineis, aut aliis quibuslibet vestimentis.

15. *De Fratre, qui cadit in fornicationem.*

ET aliquis (quod utinam nunquam eveniat) peccatis exigentibus, ceciderit in lapsus carnis, si occulte peccaverit, occulte poeniteat, & jungatur sibi poenitentia congrua. Si vero publicatus & apprehensus per certos fuerit, in eadem villa, in qua facinus perpetraverit, Dominica die post Missas, quando populus ab Ecclesia egressus fuerit, videntibus cunctis nudetur, & a Magistro suo vel aliis Fratribus, quibus Magister praeeperit, corrigis vel virgis durissime flagelletur & verberetur; ac de omni nostra Societate expellatur. Postea si Deus cor ejus illustraverit & ad Domum Pauperum reversus fuerit, atque se reum & peccatorem atque legis Dei transgressorem professus fuerit, & emendationem promiserit, recipiatur.

16. *Frater expulsus sic recipiatur.*

Primo poenitentia digna sibi imponatur, & per annum integrum in loco extraneo teneatur. Si in hoc spatio viderint Fratres satisfactionem suam, postea faciant, quod melius sibi videbitur.

17. *De Fratre, qui habet quaestionem cum alio Fratre.*

SI Frater altercatus fuerit cum aliquo Fratre, & clamorem Procurator Domus habuerit, talis sit poenitentia; septem diebus commedet in terra, jejunet quartam & sextam Feriam in pane & aqua; commedat in terra sine mensa & manutergio.

18. *De Fratre, qui verberat alium Fratrem.*

SI quis Fratrum alium percusserit, sit in XL.

19. *De Fratre, qui recessit de Magistro cui commissus fuerit in Justitia vel domo sua.*

ET si aliquis Fratrum recesserit à Domo vel à Magistro, cui commissus fuerit XL. diebus manducet in terris, jejunet quarta & sexta Feria in pane & aqua, & per totum tempus permaneat in loco extraneo, quantum foris exstitit, nisi tam prolixum fuerit tempus, ut Capitulo conveniat, moderari.

20. *De silentio & non bibere post Completorium.*

AD mensam, sicut dicit Apostolus, unusquisque panem suum cum silentio manducet, quod in Fratribus nostris volumus observari sub pœna XL. & quod Fratres sub pœna antedicta non bibant post Completorium & silentium teneant in lectis.

21. *De Fratre, qui non benè se gerit.*

SI aliquis Fratrum non benè se agens, à Magistro suo vel aliis Fratribus, bis atque ter correptus & ammonitus fuerit, & Diabolo instigante, se emendare & obedire noluerit, nobis mittatur pedester, cum charta continente suum delictum, tamen procuratio rara ei detur, ut ad nos pervenire possit, eumque corrigere.

22. *Quod nullus percutiat Famulos.*

NULLUS super servientes sibi commissos pro aliquo facinore percutiat, sed Magister Domus & factam coram omnibus vindictam accipiat; tamen Justitia domus omnino teneatur.

23. *De illo, qui revelat proprium.*

SI aliquis Fratrum de proprio dimissus, in morte sua proprietatem habuerit & Magistro suo celaverit; ac postea super eum inventa fuerit, ipsa pecunia ad collum ejus ligetur & ab aliquo Fratre durissimè, aliis Fratribus domus præsentibus, verberetur, & XL. diebus pœniteat jejunans quarta & sexta Feria in pane & aqua.

24. *De Fratribus defunctis & eorum tredenario.*

QUONIAM etiam valde necessarium est omnibus nobis fieri statutum, præ-

cipimus, præcipiendo mandamus, carnis omnibus Fratribus viam universæ ut de ingredientibus, in omnibus obedientiis quibuscunque obierint, triginta diebus Missa pro ejus anima cantetur. In prima Missa unusquisque Fratrum, qui aderit, candelam cum nummo offerat, qui vide licet nummi, quanticunque fuerint, Pauperibus erogentur. Et Presbyter, qui Missas cantaverit, si non est de domo, procuracionem in obedientia his diebus habeat; & peracto officio Magister sibi charitatem faciat, & omnia indumenta Fratris defuncti Pauperibus dentur. Fratres verò Sacerdotes, qui Missas cantaverint, pro ejus anima orationes fundant ad Dominum Jesum Christum, & Clericorum unusquisque cantet Psalterium, Laicorum verò centum quinquaginta Pater noster, &c.

25. *De judicio Fratrum de rebus, injuriis & peccatis.*

DE omnibus peccatis, rebus, & clamoribus in Capitulo judicent, & discernant rectum judicium. Et hæc omnia, ut supra diximus ex parte Dei omnipotentis, beatæ Virginis Mariæ & sancti Joannis Baptistæ & Pauperum, præcipimus, & ex imperio imponimus, ut cum summo studio ita per omnia teneantur.

Hic incipit tertia pars.

26. *De receptione Infirmorum.*

ET in ea obedientia, ubi Magister & Capitulum Hospitalis concesserint, cum venerit ibi infirmus, itaque recipiatur; primò peccata sua Presbytero confessus religiosè communicetur, & postea ad lectum deportetur, & ibi, tanquam Dominus secundum posse domus, omni die antequam Fratres cant pransum, charitativè reficiatur.

27. *De Fratre, qui dat bona Hospitalitatis, causâ regnandi, seculari personæ, & de Processione.*

OMNIBUS Dominicis diebus Epistola & Evangelium in eadem Domo cantentur & cum Processione, aqua benedicta aspergatur. Item si qui Fratrum, qui obedientias & diversas terras tenent, ad aliquam sæcularem personam venientes rebellando, pecuniam Pauperum dederint, ut eos per suam vim contra Magistrum suum regnare faciant, ab universitate Fratrum projiciantur.

28. *De duobus vel tribus Fratribus simul commorantibus, & de salubri reprehensione unius ad alium.*

ET si duo vel amplius Fratres in simul fuerint, & unus eorum nequiter se malè vivendo habuerit, alter Fratrum non eum diffamare debet, neque populo neque Priori; sed primò per seipsum castiget eum & reprehendat gratiosè: Et si se noluerit castigare, adhibeat secum duos Fratres vel tres ad eum castigandum. Et si emendaverit inde, gaudere debet: si autem emendare noluerit, tunc culpam suam scribens mittat Magistro; & secundùm quod Magister & Capitulum jufferit, de eo fiat.

29. *Quod unus Frater non accuset alium.*

ITEM quod nullus Fratrem suum accuset, nisi benè possit probare: si autem fecerit, ipse Frater non est.

30. *De Impositione Crucis ante pectus vel super habitum.*

ITEM omnes Fratres omnium obedientiarum, qui nunc & inantea offerunt se Deo & sancto Hospitali Jerosolymitano Crucem ad honorem Dei & ejusdem sanctæ Crucis, in cappis & mantellis secum deferant ante pectus, ut Deus per ipsum vexillum, fidem, & operationem, & obedientiam nos custodiat à Diaboli potestate simul cum omnibus Benefactoribus nostris Christianis, Amen.

Nulli ergo omnino hominum liceat, &c. Sicut ante per Confirmationem per Papam Bonifacium, in principio istius statuti, Pontificatus sui anno sexto, VII. Idus Aprilis, &c.

Modus recipiendi Fratres ad Ordinem.

CUM aliquis Hospitalitatis effici velit, ipse venire debet die Dominico ante Capitulum, & requirere à Magistro, aut ab alio, qui tenebit Capitulum, Societatem domus. Postea verò Magister, aut ille qui tenebit Capitulum, quærere debet à Fratribus, si reciperetur ille. Et si Major pars in concordia fuerit, recipiatur. Et quando recipietur; ille, qui eum in Fratrem recipiet, sibi dicere debet: Bone Amice, vos quæritis Societatem Domus, & causam habetis? nam multi nobiles homines agunt preces magnas, & grandi gaudio exultant, quando ipsi aliquem ex eorum Infantibus, aut ex eorum amicis possint ponere in hac Religione, & si vos voluntatis existitis standi in tam decora, tamque honorabili Societate, & in tam sancta Religione, ut est hujusmodi Hospitalis, causam habetis. Verumtamen, quamquam vos videatis vos bene indutos, & cum magnis equitaturis & vos cunctis deliciis frui, estis decepti: Nam quando vos dormire volueritis, oportebit vos vigilare; & quando volueritis vigilare, dormire vos oportebit; & quando vos comedere volueritis, oportebit vos jejunare; & quando volueritis jejunare, vos comedere oportebit. Mandabimini etiam huc & illuc ad plateam, quæ non placebit vobis, & illuc vos ire oportebit: Oportebit denique omnimodam vestram voluntatem pro alio relinquere, & plura dura alia tolerare. Vultis vos hujusmodi omnes res facere, atque pati? Et tunc ipse debet dicere: *Ita si Deo placeat.*

Postea etiam sibi debet dicere: Plura nos vellemus à vobis scire, si vos unquam vovistis seu promissistis aliam intrare Religionem. Et etiam scire à vobis volumus, si vos habetis scæminam aliquam in sponsam, seu promissistis vel jurastis alicui scæminæ ipsam suscipere in uxorem. Scire enim debetis, quod si vos haberetis scæminam, & cras vel die alia, ipsa requirere vos venit; & habitus auferri deberet à vobis & redire scæminæ vestræ. Per consimilem modum à vobis volumus scire, si vos estis obnoxii debitis aliquibus, propter quæ Religio possit aggravari. Nam si manè venirent aliqui, qui vos grandia debita postularent, & probarent vos sibi fore in aliquo debitorum, privaremini habitu & redderemini pariter illis. Similiter quoque à vobis volumus scire, si vos estis servus Domini alicujus. Unicuique rerum hujusmodi ipse debet respondere, quod *Non*. Post hæc autem debet portari Missale, & supra ipsum ille debet ponere manus suas & sibi debet dici: Vos promittitis & vovetis Deo & Dominæ nostræ, ac meo Domino sancto Joanni Baptistæ sub obedientia cujuscunque Superioris, quem vobis Deus dabit vivere atque mori. Vovetis insuper, & promittitis castè vivere usque ad mortem, & vivere etiam sine proprio. Nos etiam facimus aliquam promissionem, quam nulli alii faciunt Religiosi. Nos namque promittimus esse servi Slavi Dominorum Infirmorum. Et pro unaquaque rerum hujusmodi ipse debet respondere: *Ita, si Deo placeat.* Postea verò sibi debet dicere, ille qui eum recipiet. Et nos promittimus vobis panem

nem & aquam, & humiles vestes, vos enim non potestis rem aliam postulare; & vos facimus participes, animasque Parentum vestrorum in omnibus bonis factis in Religione nostra à primæva sui institutione, & quæ fiunt ac fient usque ad diem Judicii in eadem, in quibus Dominus noster vobis dignetur concedere partem talem, qualem nos speramus habere. Post hæc verò ille, qui debet effici Frater, accipere debet librum & illum ferre ad Monasterium ac eum imponere

super Altare. Deinde libro ipso accepto, eum reportare & venire debet coram illo, qui eum debet facere Fratrem, & ille debet ipsum librum ab eo recipere, & sibi dare mantellum, & pariter ei dicere: *Ecce signum Crucis, quod portabitis in hoc mantello, in commemorationem illius, qui pro salvatione nostra subiit in patibulo Crucis mortem, ut Deus propter Crucem, & propter obedientiam, quam vos fecistis, vos protegat & defendat nunc & semper à diabolica potestate, Amen.*

Modus recipiendi Confratres.

CUM autem aliquis vir probus requirit esse Confrater Hospitalis, Magister aut Præceptor seu ille qui eum debet recipere in Confratrem, debet facere Fratres congregari. Quibus accersitis in unum, ille qui Confrater esse cupit, debet venire ad præsentiam eorundem, & ille qui debet recipere in Confratrem, debet pro Missali mandare, & ille positus manibus supra librum, sibi promittere debet, quod inantea pro posse domum Hospitalis & Fratres in omnibus diliget, & à cunctis Malefactoribus illos toto posse defendet, & bona domus ejusdem servabit; & si nequibit illa defendere & servare, id Fratribus domus pandet; ac quod si aliquam Religionem ingredi voluerit, intrabit Religionem Hospitalis. Et si nullam Religionem in vita voluerit intrare, solebat promittere, quod in fine relinquet, ut sepeliatur in Cæmeterio Hospitalis: Verùm quia Decretale hoc prohibet, sub pœna excommunicationis igitur suæ discretioni relinquatur. Nisi fortè portare vellet habitum cum signo *Fau* ut in

Cilicia assuescunt; nec non quod in suæ Confraternitatis recognitione, in Festo sancti Joannis Baptistæ rem aliquam dabit domui annuatim. Cum autem hæc promiserit, Confrater ille, qui eum recipere debet, dicit sibi. Ob promissionem, quam vos fecistis Deo & Dominæ nostræ, ac Domino meo sancto Joanni Baptistæ, & Dominis nostris Infirmis, nos recipimus vos & animas Parentum vestrorum participes in Missis, Matutinis, Vesperis, & in omnibus aliis piis bonis, quæ facta sunt in nostra Domo, à die quâ fuit primitus instituta, & quotidie fiunt, ac fient in eadem per universum orbem usque ad diem judicii. Et Dominus noster dignetur vobis partem talem conferre, qualem unusquisque nostrum sperat habere. Quibus dictis, sine facto, ipse debet sibi pacem præbere, & consimiliter omnes Fratres, qui erunt ibi præsentés. Deinde verò nomen ejus in libro Confratrum redigatur in scriptis & id, quod dare promiserit annuatim in recognitionem suæ Fraternitatis.

